

Konrad Samuel Schurzfleisch Johann Christoph Depenbrock

Cheirotonian

Wittenbergae: Henckelius, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn812591399>

Druck Freier  Zugang





La-1044 ¹⁻¹⁰.




447
53
1
D. O. F.

XEIPOTONIAN,
PRÆSIDE,
CONRADO SAMUE-
LE SCHURZFLEISCHIO,
PROF. PUBL.

Edifferet

Ad d. XIIIX. Septembr. M. DC. LXXXVI.

M. JOHANNES CHRISTOPHO-
RUS DEPENBROCK,
Osnabrugâ VVestphalus,



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

D. G. F.
XEROPOTOMIAN,
PRESIDE,
CONRADO SAMUEL
LE SCHURZLESCHE,
PROF. PUBL.





I.

Ritus ille veteri instituto comprobatus est, quo manu porrectâ ferebantur suffragia, eoque cum Græci, tum Latini, sapientes æquè ac sancti homines quondam utebantur.

2. Cum enim prisca, quod vellent, persæpe manu significant, tum Græci, maxime Attici in concionibus, hanc suffragandi rationem, quæ porrigendâ manu fiebat, receperunt.

3. Quorsum Cicero oculos animumque intendit, cum, quomodo decreta in conventibus populi declarata fuerint, scitè describit. *Porrexerunt manus: Psephisma natum est.* Quæ quidem conciones turbulentæ erant, in quibus licentia & clamor populi valuit, atque hac de causa morem *porrigende manus, & profundendi clamoris multitudinis concitatus*, per aptè con-

junxit, in oratione pro L. Valerio Flacco. Arguit
repentinos Græcorum impetus, & levitatem
perstringit, quæ Romano nomine indigna sit,
nec iudicio, sed strepitu peragatur. Quo malo
Græciam concidisse queritur, quippe quam ni-
hil perinde afflixit, ac immodica libertas, & li-
centia concionum. In quam sententiam dis-
seruit Plato lib. III. de legibus: de cetero vid. Fr.
Sylvius in orat. banc, & conf. Adr. Turnebus
in Advers. lib. xxx. cap. 4.

4. Equidem corrupto Græciæ statu non
tam suffragia, quàm effrænati clamores manu
jubentis, aut vetantis populi audiebantur. In
hanc perversam Græciæ consuetudinem inve-
hitur Tullius, quæ libertatem suffragii tollebat,
& cum temeritate metuque conjuncta erat, ut
ipse mentem suam eadem in oratione oppidò
evidenter declaravit. Fuit ceteroquin tempus,
quum suffragia idonea ac legitima tendendis
manibus ferebātur, & delecti creatiq; hoc signo
magistratus *χεῖροτοννοὶ* dicebantur. Id quod
 fiebat populo rite congregato, cujus convo-
candi potestatem *Thesmothetæ* habuerunt. V.
Æschi-

Æschines in orat. contra Ctesiphontem, Julius Pollux onomast. lib. vii. cap. 9. Carolus Sigonius de rep. Athen. lib. iv. cap. 1.

5. Eodem instituto quoque belli Imperatores electi sunt, ita ut suffragiorum, quæ hoc *symbolo* dabantur, numero vinceret is, qui porrectis plurium manibus designaretur. Illud liquet ex *oratione Isocratis, quæ extat de pace*. Veteres enim cautè sapienterque in eo genere versatos, docet præter alios *Stobæus serm. cxli*. Quod postea secus evenit, quàm Græci à majorum virtute degenerarunt, ne tam consilio, quàm cæco impetu summos militiæ præfectos elegerunt.

6. Diversi erant κληρωτοί, qui conjectis in sortem tabellis, designari consueverunt, quos in fano Thesei electos fuisse proditum est, in quo Thesmothetæ, sortiendi munere fungebantur, auctoritate Æschinis, cujus orationem paulò ante laudavi. Talem in modum sortitò creati sunt, qui Herculis sacerdotium inirent, uti evincere licet fide testium, qui pro Ebulide testimonium dixerunt, quod etiamnum super-

A 3

est

est cum oratione Demostenis, quæ contra Eubulidem habita est, cujus verba probantia sequuntur. ὡς ὑπ' αὐτῶν τῶν (scil. δημοτῶν) προεκρίθη ἐν τοῖς εὐγενεστάτοις κληροδοταί τῆς ἱερωσύνης τῷ Ἡρακλεῖ. Qui sacerdotes à demotis electi, sortes duxerunt, quorum illud verbo προκρίνεσθαι, hoc vocabulo κληροδοταί indicatur. Non enim qui electi, continuo sortiti sunt, quod multum inter utramque actionem interesset; Ebulides tamen & electus, & sorte sacerdotium consecutus, tam πρόκρισιν, quam κληροδοταί sibi vindicabat, quemadmodum id subjecta, ac manifesta testium verba satis superque confirmant.

7. Demum αἰρετοί dicebantur omnes, quotquot extra ordinem creati sunt, quibus magistratui nomen dignitasque haud derogari potuit; cujus in causa Æschines ductis è republica argumentis, contra Ctesiphontem disputavit. Αἰρετός erat κατὰ ψήφισμα τεταγμένον, ex decreto publico constitutus. Omnino enim hoc nomen usu Atticorum de magistratu effertur, sed αἰρετὸν κριτὴν non perinde dici, admonuit Thomas Magister in b.V. 8. Re-

8. Redeo ad suffragium, porrectâ manu
 dari solitum, quod Græcis χειροτονία dicitur,
 vocabulo congruente & perapto. χεῖρ τι ση-
 μαίνει, ut ait *Philostratus de vita Apollonii
 Thyanei libro I. τείνω* est tendo, quod & pro
ἀνατένω sumitur, & hac significatione idem
 notat, quod attollo, porrigo, extendo. Variis
 præpositionibus jungitur, ἀνά, ἐπί, εἰς, πρὸς,
 παρὰ, quæ cum ex vocabulorum commenta-
 riis & Lexicis, tum ex lectione auctorum con-
 stant. χειροτονία ratione etymi est porrectio
 manus; hic μετανομικῶς suffragium, aut suf-
 fragii lationem significat, & μεταληπτικῶς
 creationem per suffragia factam; electionem;
 vel designationem. *V. Vossius l. IV. instit. Orat.
 cap. 10.* Quâ notione occurrit apud *Thucydi-
 dem hist. lib. III. Demosthenem in oratione ad-
 versus Midiam, nec non apud Atticos recentio-
 res Plutarchum & Lucianum.* Non secus, atque
 χειροτονέω, quod est suffragium dare porrectâ
 manu, & suffragio creare, constituere passim
 apud *Isocratem in Orat. de pace, σπάληγος χει-
 ροτονείν*, & *Demosthenem in Orat. adversus Ni-
 costra-*

colstratum, ἔς ὃ δῆμ' ἐχειρολόνησε. Aristophanes χειροτονεῖν & χεῖρας τείνειν eadem in re usurpavit, ac χεῖρας ἀίρειν explicatum reddidit per subsequens χειροτονέον, in concionantibus. Sed alibi χεῖρας ἀίρειν refertur ad pugiles, quod vel unus docere possit Argonauticorum scriptor, qui in versus retulit, χεῖρας ἀίρειναι. Hinc celebrata est χειρῶν ἀνάτασις, cujus meminit Themistius ὁ Φιλοσοφορήτωρ. In eadem ceteroquin Aristophanis comœdia occurrit χειροτονῶμεν, & aliquanto post χειροτονέοντας, ubi de sententiâ suffragiis latâ sermo habetur. Ibi dem ἀντιχειροτονέω dicitur de suffragio contrario & repugnante. Verùm διαχειροτονέω adhibetur, cum duabus rebus propositis, utra placeat, lato suffragio declaratur, ut apud Demosthenem in oratione contra Neeram, Ἐ orat. in Evergum. Exinde intelligi potest ritus suffragii per διαχειροτονίαν ferendi, quem breviter descripsit Scholiastes Æschyli in Supplicibus V. 629. Tollebat manus, quisquis præconi clamanti assentiebatur. Hunc adeò respiciens tragœdus scripsit, χερσὶν Ἀργεῖ' & λεῶς ἔκρανε, indicans,
mani-

manibus sublatis, Argivum populum statuisse,
 propterea quod præco, antequam populus sta-
 tuebat, clamare solebat; ἀπάτω τὰς χεῖρας,
 ὅτω ταῦτα δοῦναι. apud scholiasten dicto loco.
 Suidas etiã hanc Atticæ urbis consuetudinem li-
 teris mandavit, sed in eo doctus & diligens com-
 pilator lapsus est, quando ad καταχειροτονίαν
 retulit, quæ ad διαχειροτονίαν pertinebant. V.
 idem in καταχειροτόνησαν αὐτῶ. Notæ & u-
 sitatæ sunt dictiones χειροτονίαν ποιεῖν, χειρο-
 τονίαν δίδοναι, apud Demosthenem in oratione
 adversus Timocratem, & in or. contra Ando-
 tionem: æquè ac δίδοναι ἐπιχειροτονίαν, in o-
 rat. adducta adv. Timocr. Ut vero διαχειρο-
 τονία & διαψήφισις non idem significant, sic
 quoque differunt verba ἐπιχειροτονεῖν & ἐπι-
 ψήφισεν. V. Harpocration in Lex. & in eum H.
 Valesius.

9. Quam consuetudinem unde arripue-
 rint, & quam obrem studia in eos, quos suffra-
 gio suo electos renunciatosque cupiebant,
 hoc signo exprimere voluerint, haud est
 difficile intellectu. Etenim manus suffragan-

B

tium

tium puræ, nec donis muneribusque corruptæ
populum virtutis & officii admonere debue-
runt, ut, quemadmodum jus & fas esset, ido-
neos ac virtute præditos eligeret, ac ratione &
consilio optimo reipublicæ magistratus crea-
ret. Testis est locuples Philo, Hebræos ipsos-
met hanc tradidisse disciplinam, ut manibus
incorruptis, moribusque integris partes quas-
que sanctissimas agerent, & cupiditates cor-
ruptelasque fugerent, nec minùs mentem,
quàm manus puras servarent. *ἔτε δῶρον ἐπ'
αἰδίκοις λαδόντες. lib. de an. idon. sacr.* Quod
concludendi similitudinè licet conficere, & à
ritu offerendi ad ritum suffragandi, in parte vi-
tandæ turpitudinis, haud absurdè ratio cinari.

10. Neque verò solùm tendebantur ma-
nus, cum populus decreta sanciret, sed etiam
hæc consuetudo tenuit, ut victi vitam servatu-
ri manus tenderent, veniamque peterent, ac
victori supplicarent. Cujus rei documentum
præbuerunt Romani milites, acceptâ clade, mi-
sericordiam poscentes. *ἐξάροντες τὰς χεῖρας,
καὶ δεόμενοι ζῶγειν, apud Polybium III. 84.*

Quam

Quam loquendi consuetudinem Latini imitan-
 tur, exemplo Turni Rutulorum Regis, apud
Virgilium loquentis *Æneid. XI. 414. Oremus*
pacem, & dextras tendamus inermes. Et a-
 libi, cum Turnus ab Ænea victus, ac humi
 stratus jaceret, *Æn. XII. 930. Ille humilis sup-*
plexque, oculos dextramque precantem Pro-
tendens. Quæ loquendi ratio cum prosa con-
 gruit, neque à dictione Tulliana abhorret. In
 orat. in Catilinam IV. *Vobis supplex manus*
tendit patria communis. Or. pro Fontejo. *Ten-*
dit ad vos virgo Vestalis manus supplices. Sic
 & apud Livium Virginius, *supinas tendens ma-*
nus, commilitones appellans orabat, III. 50. Pa-
riter apud Cæsarem B. G. II. 13. VII. 48.

10. Præterea manus tollebant, qui ad-
 miratione quadam afficiebantur, apud Catul-
 lum *Epigr. LIV.*

Admirans ait hæc, manusq; tollens.

Haud aliter Tullius, Hortensium vehementer
 admirantem, manus sustulisse tradit, in quarto
Academicarum questionum libro, qui inscribi-
tur Lucullus. Similem in modum scripsisse,
 memoriâ teneo in epistola ad Cæsarem, quæ

B 2

est

est quinta in libro VII. ad familiares. Sustulimus manus, & ego, & Balbus. Quo pacto adducitur, auctore Aliano, Milo Crotoniates, admiratione obstupefactus, cum incredibile Titormi robur vidisset, & rei novitate attonitus, hunc alterum esse Herculem persuasus, eam in sententiam verba fecisset, palmas ad cœlum tendens, εἰς τὸν ἔθανὸν τὰς χεῖρας τεύνας, Var. XII. 22.

11. Interdum res afflictæ erant, quum tollendæ manus consuetudine utebantur, præsertim in repentinis calamitatibus, quæ non sine gravi Numinis offensione contigissent. Idcirco mulieres Alexandrinæ, ab Oenante, ambitiosa & impotente fœmina, quæ modum sibi in secunda fortuna constituere non poterat, indignè exceptæ, manus ad cœlites attollebant, τοῖς θεοῖς ἀνίσχουσαι τὰς χεῖρας, ut est apud Polyb. XV. 27. Ἀνίσχω exponere licet per ἀνατεῖνω, quoniam perinde sumitur notione attollendi, ac sursum porrigendi, V. Hesychius in h. v. & Philostratus in Polemone. Quo sensu bis, & eadem compositione verborum, apud Homerum reperitur, Iliad.

*ad. IX. 347. & XV. 369. καὶ πᾶσι θεοῖ-
 σι χεῖρας ἀνίσχοντες.* Diversa est significatio,
 quâ paria facit cum ἀνατέλλω, & idem valet,
 quod orior, apud Xenophontem aliquoties,
lib. II. & III. de exped. Cyri, lib. II. hist. Græc.
ἄμα τῷ ἡλίῳ ἀνίσχοντι, & ὁ ἡλιος ἀνίσχει,
 quæ denotant ortum Solis. Prima tamen hu-
 jus verbi notio, ab origine deducta & æstima-
 ta, exprimi debet significatione attollendi;
 contra quàm vulgus *Lexicographorum* solet,
 qui ab oriendi notione initium ducunt. Apud
 Romanos Narcissus, Claudii libertus, condi-
 tionis suæ conscius, ac pœnam perniciemque
 sibi impendentem auguratus, tam incerto re-
 rum suarum statu *modò ad Deos, modò ad Bri-
 tannicum tendebat manus, apud Tacitum An-
 nal. XII. 65. 5.* Eadem precantis significatione
 cum hic, tum alibi apud Tacitum, & idoneos
 scriptores invenitur. Non omitam, quod Ca-
 millus, prosperæ fortunæ invidiam leniturus,
 sublatis ad cœlum manibus, precantis more
 verba prolocutus est, quæ consignavit *Livius*
V. 21. Hinc tollere, & tendere manus, purissi-

B 3

mâ

mâ Latinitatis ratione, apud Oratores æqvè ac Poëtas exprimuntur. Neqve eo seciùs *pro-*
tendere ab utrisqve usurpatur, *Tacit. Hist. I.*
36. 4. Virgil. loco paulò ante allato. De indu-
stria omittimus *elevare*, qvòd etsi pro *ἐπάψει*
legitur apud scitissimum Comicum, tamen a-
pud Ciceronem, & *prosaicos* optimæ ac aureæ
ætatis scriptores nihil aliud denotat, qvàm mi-
nuere, deprimere, extenuare. Id qvòd meâ
opinione, ita notum est, ut minimè omnium
necesse habeam, facere dictis fidem.

12. Qvoniam verò homines, desperatâ
ope humanâ, in primis Deum spectant, cultio-
res sanè populi, in quibus vis animi & rationis
perspecta est, Græci maximè, & hos secuti de-
inceps Latini, manus suas ad cœlum sustule-
runt. Qvare Lucianus, etsi parùm religiosus,
meminit moris atqve instituti hujus, qvo pre-
cantes tendebant in cœlum manus. *Ἡμεῖς*
τὸν ἐν Ἀθήναις ἀγνώστον ἐφευρόντες, καὶ προσ-
κυνήσαντες, χεῖρας εἰς ἔρανὸν ἐκτείναντες,
τέτω εὐχαρισήσομεν, in philopatride sub finem.
Venit hic in mentem Polemonis sophistæ, qui
ali-

aliquem ritus hujus oblitum redarguit & in-
fectatus est, propterea quod Jove in Olympiis
appellato, manu terram monstrasset, nec se
manumque ad cœlum erexisset. Igitur de in-
scito homine, qui absurdè tragœdiam egerat,
facetè judicavit: εἶπε τῇ χειρὶ ἐσολοίμισε.
Philostratus junior de vitis soph. in Polemone,
ex quo, non laudato auctore, sumpsit Joannes
Pierius Valerianus hieroglyph. lib. xxxv. cap. 37.
Diu ante utrumque Aristoteles affirmavit, ho-
mines vota concepturos, tollere ad cœlum ma-
nus. Πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖ-
ρας εἰς τὸν ἔρανόν, εὐχὰς ποιῶμενοι, *lib. de*
mundo cap. vi. πάντες, ait, ut Græcos barba-
rosque simul complectatur. Illud probare
expeditum est, si componatur locus, qui extat
lib. I. de cœlo, cap. 3. ubi tam barbaros, quàm
Græcos hâc opinione duci tradit, ut sublimem
summumque Deo locum consentientes tribu-
ant: nec verò novam esse, aut nuper repertam,
sed à priscis traditam, testimonio suo probat.
τὸν ἄνω τόπον οἱ μὲν ἀρχαῖοι τοῖς Θεοῖς ἀπένει-
μιαν. *lib. II. de cœl. cap. 1.* Supra τὸν ἀνωτάτω τό-

πov

πον δixerat : sicuti in libro de mundo τὴν ἀνω-
τάτῳ ἔδραν, τὴν ἀνω χώραν, τὸ ἀνω οἰκητή-
ριον Deo assignavit, cap. VI. § III. collatis.
Ita nempe ἀρχαῖοι cum pleniori honore ap-
pellati, quos hoc elogio à παλαιοῖς Græci di-
stingvunt, exemplum hujus ritus transmisere
ad posteros, quos manibus ad cœlum erectis
vota nuncupasse Philosophus docet. Quam
in rem multa quidem exempla suppetunt, sed
in præsens duo sufficiant, Æneæ & Anchisæ,
quæ petenda sunt ex Æneid. l. 97. § Æn. III. 263.
Pasfis, inquit, *palmis*, id est, manibus expan-
sis, exporrectis. Non secus Cicero, quum de
Cepheo, sidere cœlesti, loquitur, Aratum se-
cutus, qui de eodem scripserat, ἀμφοτέρῃς
χεῖρας τανύοντι εἰκώς. Significatione con-
gruunt τανύω & ἐκτείνω; ut notat auctor scho-
liorum in Homer. *Iliad.* xxiii. 324. Cæsar ali-
quoties hunc ad modum: *de bel. Gal.* II. 13. § lib.
vii. 47. Ibi Bellovaci, *pasfis manibus*, pacem à
Romanis petierunt: hic Arverni *pasfis mani-
bus*, obtestabantur Romanos, ut sibi parcerent.
Quo indicio intelligitur, morem habitumque
hunc

hunc ad petendum & obtestandum fuisse comparatum. Locum, *qvilibet. l. 50. B. G. extat*, prætermitto, ubi multi, nec spernendi codices habent, *passis crinibus flentes implorabant*. Non aliter legit Goth. Jungermannus, codice emendato usus. Quare huic loco respondet l. VII. 48. B. G. *suos obtestari, & more Gallico, passum capillum ostentare*. Perinde autem passis palmis, ac passis crinibus miseri & calamitosi homines supplicabant ac obtestabantur. Legati Alexandrini, patrocinium præsidiumqve contra Antiochi injurias, *barbâ & capillo promisso*, Romæ petierunt, *Livius XLIV. 19*. Manlio in custodiam tradito, multi ex plebe, *capillum ac barbam* promiserunt, *idem VI. 16*. Perinde ut apud Virgilium Anchises, *passis palmis*, opem Numinis invocavit. Hanc in sententiam Horatius. *Cælo supinas si tuleris manus*. III. *Carm. od. 23*. ex Virgilio explicandus, *Æneid. III. 176*. Memini Livium in oratione prosa sic locutum: *Supinas manus ad cælum ac Deos tendere*. Supinæ manus sunt erectæ, sive exporrectæ; pro-ut Græcis etiam *ὑπτίαι χεῖρες* dicuntur, quæ
C alio.

alioquin ἡπλωμένας, id est, passæ, vel explicatæ nominantur. V. Suidas in V. ὑπτί. Summatim loquendo, manus tendere, est suppliciter orantis, quemadmodum de Macedonibus effert Livius XLIV. 42. Nec non de Manlio criminis regni affectati reo, qui ad Capitolium manus tendens, ab hominibus ad Deos preces avertit, VI. 20. Horatio tam scito, quam sapienti carminis artificii non temere excidit, sed ex antiquitate deprompta est hæc loquendi ratio, quæ soli tamen characteri poetico congruit, nec prosæ misceri debet. Non operæ pretium est, cumulare exempla. Tantum addo luculentum & insignem Philonis locum, cum quo congruit Clemens Alexandrinus, affirmans, precantes Deum Christianos & caput, & manus tollere ad cælum, ille lib. de Vit. cont. hic Stromatum VII. Prior ἀνατείνειν, alter προσανατείνειν καὶ ἄγειν, adhibet, ac in descriptione hujus orantium ritus significanter conjungit. Quamquam fallitur, quisquis existimat, Paulum divino spiritu afflatum, recogitasse & respexisse consuetudinem Hebræorum, à quibus hæc disciplina per-

permanavit ad gentes quasque remotissimas,
& recepta etiam ac longo tempore servata est à
pio veterum coetu, qui Christo studium no-
menque ultimis seculis profitebatur. Quod
Paulus de manibus sublatis, vel sursum latis, i-
dem Lucas eodem verbo ἐπάσσειν de oculis ad
coelum erectis tradidit, uterque prisca moris
index, alter *I. Timoth. II. 8.* alter *hist. Evang.
xlix. 13.* Quorsum vid. *Theodoretus in d. ep. 5*
Hugo Grotius in b. c. Luc. ἐπάσσειν hinc vi præpo-
sitionis intendit significationem tollendi, & in
sublime dirigit, altiusque effert. Quâ ratio-
ne Euripides dixit, ἐπάσσειν πλευρὰν, attolle-
re latus, notione ferendi in sublime, quum la-
tus è loco depresso in altiore transfertur. in
Hecuba 499. Plutarchus de saxo manibus in al-
tum sublato dixit, in *Pericle.* Diodorus Siculus
nominat ἐπηρμένον ἕδαφος, editiorem posi-
tum, altiore situm. *biblioth. lib. 1.* Et ὀφρύες
ἐπαιρομέναι, supercilia elata, altius extantia ap-
pellantur. *Pollux onom. lib. II. cap. 4.* Hinc
Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromatum.*
ἐπάσσοντες εἰς τὸ Θεῖον, efferentes ad Deos, ex-

tendentes ad originem divinam. Cujus vim
significationis retinet apud Thucydidem, Xe-
nophontem, Herodianum, quum eleganti tra-
lacione usurpatur. Sed imò & simplex *τείνω*
cum *ἐπι* junctum porrigendi, sive extendendi
notione venit, quod constat ex idoneis scripto-
ribus, ac sigillatim ex *Aristide, disertio & argu-
to Atticista.*

13. Sed ne longius abire videar, vestigiis
superioribus insistam, & quid, ac quale tandem
prorectâ manu suffragium sit, magis aperiam,
ut tota hujus antiquitatis ratio bene & aptè
constituatur. Quod dum facere instituo, in-
primis monendum esse reor, quod *χειροτομία*
& *ψήφω* multum inter se differant, quam-
vis hæc vulgò per se invicem exponantur.
Ac prius quidem illud suffragium porrectis
manibus, alterum jactis calculis peractum
est, quæ omnino distingvi oportet. Thu-
cydides utrumque discernit, quum scribit.
κρίναι βολήν, καὶ ἐ ψήφω, lib 1. Istam *βολήν*
Plutarchus vocat *κραυγήν*, in *Lycurgo*. Nam
χειροτονούντες clamore de candidatis judica-
bant, ut is videretur electus, cui plurimus ma-
ximus-

ximusque clamor obtigisset. Contra ψηφοφο-
 ρεῦντες conjectis in urnam lapillis statuebant,
Xenophon Cyriped. lib. I. σὺν τῷ νόμῳ ἐκέλευε
δεῖν τὸν δικαστὴν τὴν ψῆφον τίθεσθαι. Hoc
 tradit de Cyro, qui judici ferendæ secundum
 legem sententiæ negotium dabat. Apud Hero-
 dotum ait Gobryas. τίθεμαι ψῆφον. Calculum
 pono, id est, suffragium fero. Ibidem aliquan-
 to post Otanes. τίθεμαι γνώμην, quod sonat
 idem, & in suffragiis ferendis habet locum.
lib. III. Demosthenes dixit προτίθεσθαι τινὶ
 ψῆφον, calculum alicui adjicere, pro aliquo
 suffragium ferre, *in orat. contra Eubulidem.*
 ψῆφον φέρειν, *Isocrates, or. adversus Callima-*
chum, & Demosthenes orat. eadem, ac or. con-
tra Macartatum. Dionysius Halicarnassæus,
 ψῆφον ἐπιφέρειν, *antiq. Rom. lib. II. δεῖναι τὴν*
ψῆφον, Demost. or. contra Midiam. περᾶναι
τὴν ψῆφον, Isocrates in orat. de permutatione.
 ψηφίζομαι, decerno, sententiam, fero. δίκαια
 καὶ ὅσια ψηφίζεσθαι, *Lysias contra Agora-*
tum. ψηφίζεσθαι ψῆφῳ, decernere suffragio,

mosth. or. in Nexeram. τῆ ψήφῳ καταψηφί-
ζεσθαι, contra ferre sententiam, condemnare,
ἀποψηφίζεσθαι absolvere, Demosth. orat. de co-
rona, & or. contra Timocratem. Lysias contra A-
gor. Antiph. or. de morte Herodis. ἀναψηφίξεν,
iterum calculos ponere, Thucydides lib. VI.
ἐπιψηφίξεν, suffragio comprobare, ibidem.
Henricus Stephani ex vulgaribus lexicis inter-
pretatur, iterum rogare sententias, in thesau-
ro linguæ Græcæ t. III. in b. v. Sed qui ita expo-
nunt, decepti sunt auctoritate scholiorum Thu-
cydidis, in quibus verba explicantia, δευτέρας
ψήφους τίθεναι, ad ἐπιψηφίξεν sanè perperam
referuntur, quæ omninò ad ἀναψηφίξεν re-
ferri oportebat. διαψηφίζεσθαι, calculis suf-
fragium ferre, in or. contra Ebulidem. In quo
cernitur, quid inter διαψηφίζεσθαι & διαχε-
ροτονεῖν intersit. Illud fiebat, quum senten-
tiam dicentes, calculos in sitellam conijcie-
bant, τὰς ψήφους ἐπέβαλλον εἰς τὸν κἀδισκον,
ut Græci olim loquebantur. Hoc erat, quan-
do sublatis manibus, suffragia sciscebant, idque
non vespere, nedum noctu, sed interdium facie-
bant.

bant. Proinde Xenophon scriptum reliquit.
ἐδοξε δ' ἀναβαλέσθαι εἰς ἑτέραν ἐκκλησίαν. Τό-
τε γὰρ ὄψε ἦν, καὶ τὰς χεῖρας ἐν ἄν' ἐθεώρην.
lib. I. hist. Græc. Ubi res, quæ proponebatur in
publico, dilata est in aliam concionem, non a-
lia de causa, quàm quod die in vesperam incin-
nato, manus suffragantium nō conspicerentur.

14. Nomina hinc deducta prætereo, quæ
nota & explicata sunt, literisque mandata pas-
sim occurrunt. Sed unum reticere nolim, quod
prætermisit Jo. Caspar Suicerus, qui majori co-
nato, quàm effectu *thesaurum ecclesiasticum*
scripsit. Illud verò monumentis commenda-
vit Sozomenus, qui Maximum ὑποψήφιον vo-
cat, *lib. II. hist. eccl. cap. 20.* Non possum addu-
ci, ut Is. Haberto assentiar, qui *electum coadju-
torem* interpretatur, *Archier. obs. III.* Necdum
enim Sozomeni ætate is rei Christianæ status
erat, ut Episcopi haberent electos adju-
tores. Quare Maximus non est Macario adjutor da-
tus, sed iudicio populi tacitè designatus, qui,
post Macarii decessum, sacris Hierosolymo-
rum præficeretur. Rectè in hanc sententiam

ὑπο-

ὑποψήφιον convertit Valesius, non ignarus, novam istam Haberti interpretationem, nullo antiquitatis monumento firmatam, à moribus & institutis quincti seculi abhorrere.


16. Quod de suffragio manibus declarato reliquuum est, pro certo affirmare habeo, illud olim paria significasse cum inauguratione impositis manibus peracta. Quod probare supervacuum est, cum in hanc sententiam extent multæ conciliorum sanctiones, literis ad sempiternam memoriam consignatæ. Quorsum spectat quinctus Concilii Laodicensi canon, qui vetat inaugurations sacras fieri presentibus disciplinæ sacræ alumnis, qui *catechumeni audientes* quondam sunt appellati.

17. Sed enim verò χειροτονία dudum à prima & propria notione deflexit, ac intermisso porrectæ manus usu, migravit ultra veteres fines, & quamlibet creationem, solo eligentium suffragio constantem denotavit. Quæ significatio ut trita & frequens est, sic in monumentis *Actuum nomine Apostolorum* inscriptis, pridem à doctis & interpretandi gnaris rectè ac peraptè est animadversa. *Act. XIV. 23.* Quo in loco χειροτονέειν est, quod Græcialiàs *καθίσταει* vocant. Quo verbo Titus *epist.*

I. 5, ac Polybius *hist. VI. 17.* eodem perinde

sensu utuntur.





nde Xenophon scriptum reliquit.
ἀλλάσθαι εἰς ἑτέραν ἐκκλησίαν. Τό-
ν, καὶ τὰς χεῖρας ἐν αὐτῷ ἐθεώρειν.
ec. Ubi res, quæ proponebatur in
ta est in aliam concionem, non a-
quàm quod die in vesperam inc li-
suffragantium nō conspicerentur.
mina hinc deducta prætereo, quæ
cata sunt, literisqve mandata pas-
t. Sed unum reticere nolim, quod
o. Caspar Suicerus, qui majori co-
effectu *thesaurum ecclesiasticum*
d verò monumentis commenda-
us, qui Maximum ὑποψήφιον νο-
β. eccl. cap. 20. Non possum addu-
erto assentiar, qui *electum coadju-*
retatur, *Archier. obs. III.* Necdum
eni ætate is rei Christianæ status
scopi haberent electos adjutores.
nus non est Macario adjutor da-
cio populi tacitè designatus, qui,
decessum, sacris Hierosolymo-
etur. Rectè in hanc sententiam

ὑπο-